

## DE ECCLESIA ARGENTINENSI.

Cæteris Ecclesiis multum antecellit Argentinensis A  
cujus Breviarium habemus excussum anno Christi 1489. In eo namque ad diem 21 Julii antiphonæ ad Matutinum, Laudes ac Vesperas, lectiones et responsaria omnia communia sunt.

*Gaude, nobilis Ecclesia, spiritualis argenti fulgens elegantia, quæ tui patris Arbogasti votiva recolis solemnia.. Hunc nobis specialem mater Hibernia misit pastorem....*

*Clarior ortus natalibus Hibernia oriundus velut unum ex fluminibus paradisi Arbogastus, emissus est. Infirmirate ingravescente dissolutionem sibi immi-*

*nere præsciis extra portam sepulturæ locum delegit.*

Jacobus Wymphelingus initio operis sui de sancto Arbogasto sic pronuntiat : « Etsi exactissimam fecerim diligentiam in colligendo nostratum episcoporum catalogo, non potui concordare per omnia invenire scriptores. Parum referre videtur quoto quisque anno mortem obierit, aut quot annis sedi huic præfuerit, dummodo de vitæ et morum rerumque aliarum gestarum statu ab ipso comperta veritate non deviemus. »

## VITA SANCTI ARBOGASTI

EPISCOPI ARGENTINENSIS IN GERMANIA PRIMA,

## AUCTORE UTHONE ARGENTINENSI ITEM EPISCOPO.

(Apud Bolland., Junii tom. V, p. 170, ex ms. S. Maximini Trevirensis, collato cum ms. Wiblingensi, atque exemplaribus olim prelo vulgatis.)

1. Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exortum vel conversationem ejus a puero ad profectionem usque pontificatus, seu antiquitas oblitteraverit, vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur. At vero tanti Patris insignia, quibus in diebus suis, miraculis coruscantibus, claruit, non ex toto sunt silentio oppressa; quæ per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, auribus nostris sunt infusa. Tradunt namque eum in temporibus Dagoberti regis (1) cum sancta Ecclesia longe lateque flores doctrinæ catholicæ suave redolentes diffunderet, et verbum Dei usquequaque prospere curreret, de Aquitania progressum, divino nutu, quod postea signis testantibus patuit (2) Argentinensis Ecclesiæ cathedram condisse, susceptumque culmen regiminis felici gubernatione diu rexisse. Qui beatus Christi sacerdos præfato regi amica familiaritate adeo est innexus ut, eo intra regalem aulam ascito, illud alloquio, quasi mellis dulcedine degustata (5) delectaretur et consilio uteretur.

2. Qua jocunditate cum uterque, suo rex in regno, episcopus in episcopio prospere se agerent, hostis humani generis invidia res læta vertitur in contraria. Nam cum quadam die venatores regis more solito aprum insequerentur in saltu (4), regis etiam filius, qui erat ei unicus, pariter cum eis in eodem

(1) *Dagobertum* hujus nominis *secundum* intelligere debemus.

(2) *Quod... patuit*, utrumque exemplar Ms. habet: at omittunt impressa.

(3) Hæc comparatio est in utroque ms. et Breviario Argentinensi? non item in auctario historiæ Lombardicæ.

(4) *Saltus* is situs est cis locum, qui sive a copia aprorum, sive (quod vero propius) ab infausto apri lædentis eventu nuncupationem accepit vulgo *Ebersheimunster* sive Apri-Monasterium, quod est oppidulum in ditone episcopi Argentoratensis, et sedet ad Ellum fluvium, vix uno milliari Germanico

B discursu festinavit. Dum autem illi per devia quoque et diversos anfractus cum canibus aberrarent, solus relictus, singulari (5) occurrit incautus; quo viso sonipes, in quo sedit pavefactus, cursum retorquens, in fugam vertitur. Puer vero, cum eum freno retinere vellet, et in alteram partem habenam strictius traheret, heu! nimium pronus a sella est prolapsus; adhuc autem habenæ, quam in manu tenebat, inhærens, per terram tractus, calcibus equi miserabiliter est protritit. Quem sui pedisequi diu quæsitum, et ita inventientes attritum non sine maximo mœrore tollentes, et in equis levantes, funere lugubri domum sunt reversi. Hinc venit sermo, quod sit percussus ab apro (6).

C 3. Quod cum in palatio regis (7) personaret, quantus undique concursus virorum ac mulierum, quantus ejulatus regales ædes, vicos, campos, ubicunque auditum est, impleverit, nemo valet explicare (8): nam non solum in vicinis, sed in omnibus usquequaque provinciis, ubi casus tantus est auditus, omnes dolor stuporque maxime invasit. Primates dignitates regni omnes eodem percussis dolore, exanimati regis desperatione, ipsi desperati, quid faciant; aut in quo spem regni constare confidunt? Quippe quia hæres regni et spes tota fuisset extincta. Interea puer in lecto collocatus, altera die vita est præsentis exutus. Quid igitur hujusmodi concus-

distans a Schlestadio in septentrionem: unde ipse saltus dicitur *Ebersheimunstermald*, teste Coccio in Dagoberto, cap. 15.

(5) Singulari, id est apro, ut probat Cangi-  
gius.

(6) Ita utrumque nostrum ms.; sed excusa hanc reflexionem expunxerunt.

(7) Dagoberti II regia erat Kirchemium haud procul a Mosheimio, quod Bruscha fluvius aluit.

(8) Quæ sequuntur usque ad *Interea puer* sunt in utroque ms. nostro; sed in excusa Vita desunt.



isionis facto opus sit, et quomodo regis dolorem mitigarent, cum secum quærerent, tandem consilio invento, ut episcopus invitetur regi suggerunt: quod ille devotissime amplectens, mox sine dilatione legatis directis, ut ad se episcopus omni festinantia fatigare se dignetur exposcit.

4. Nec mora, faciunt jussa: episcopum adeunt, causam invitationis non sine luctu exponunt. Ille vero, audito casu amici, totus spiritu conturbatus, flens multumque gemens, vocato comitatu, statim properare non distulit. Nec minus interea rex ad adventum pontificis impatiens, egressus, senem eminens festinantem conspicatus, fuis lacrymis, velato capite, comitantibus multis atque lacrymantibus stipatus occurrit. Qui cum se invicem solito salutare pararent, præ nimio dolore cordis vox hæsit in gutture. Quantum lacrymarum ex utraque parte flueret, nulli cognitum esse poterit. Tandem luctu satiatum (9) transacto longo spatio, tersis luminibus, ruunt in oscula amicis salutantibus. Ad orationem procedit episcopus rex cum suis a longe est secutus. Nec minus regina, comperto sancti viri adventu, ut Martha vel Maria pro fratre, fusa lacrymis, singultu pectus quatiente, sed verecundo pudore vultu submisso, ad episcopi flectitur genua, pro filio rogatura. Quam ille submissus manu erigens, quid velit non rogat, pie admodum intelligens quid singultus implorat.

4. Denique jejunos mox ecclesiam ingressus, in oratione pernoctavit, Dominum pro puero deprecaturus. Quomodo, aut quibus verbis oraverit, non patet; quid autem impetraverit, non latet. Nam finita oratione (10) diei advenientis crepusculo cum sopor gravissimus mortales solet occupare, lento pede ad puerum ingressus, ejectis omnibus ad exsequias vigilantibus, flexis genibus, committit se beatæ Mariæ patrociniis ut illa, quæ vitam genuit, vitam puero impetraret a Filio (11): nam aliter non est ausus tale aliquid tentare nisi illa pro se Dominum dignaretur invocare. Quid enim ageret? Inter spem metumque trepidus, optatum instanti oratione expectat auxilium. Nec suspendit diutius pius Archiater famulum suum qui ita sperantibus in se solitum confert remedium. Inter orandum enim puer, quasi de gravi somno excitatus, caput extulit; somniet, an vigilet, stupefactus. Sanctus ergo cum spei fixæ in Deum cognovit eventum, lætus accessit; D puerum vivum erexit: vocatis officialibus, illum indumentis exui jubet funebribus, et quibus ante usus est indumentis indui regalibus.

(9) Quod sequitur usque ad *Quomodo, aut quibus verbis oraverit*, desideratur in Vita impressa: conveniunt tamen hic inter se apographa nostra.

(10) Ita consonant mss. sed in impressis Actis deest quod sequitur usque ad. . . *ejectis omnibus*.

(11) Hinc usque ad initium sequentis numeri pleraque omittuntur in impressis; nonnulla etiam variantur: exemplaria tamen mss. conveniunt.

(12) Vulgo *Rufach*, de quo vide Coccium in Da-

A 6. Igitur qui hic officio aderant clamorem gaudi diutius cohibere non poterant: quin libere eruptum atrium, omnemque aulam regis vociferatu maximo implebant. Quo omnes a somno excussi, huc illucque discurrebant, causam tanti sonitus ignorantes. Necnon ipse rex, qui tunc primum parum somni carpebat, exterritus, nam nimium tristis tota nocte jacebat insomnis, cubiculum, ubi tantus fragor exortus est, festinus incurrit. Quanta lætitia cor ejus pulsaverit, fusæ pro gaudio lacrymæ testantur, cum reviviscere vidit pro quo, si eum reciperet, ipse morti concupivit. Vocata mater ad tanti viri pedes festinat, quia cor ejus triste filius vivus mulcebat, necnon omnes qui ad funus deflendum confluxerant, gaudio repleti ad admirationem resurgentis pueri quique pro aliis ire festinabant.

B 7. Rex ergo, ne moram faceret episcopo domum, ne laudaretur a populo festinanti, consilium cum regina duxit quomodo sanctum remuneraret, qui eis tanta beneficia adeo præstaret. Aurum, argentum, quæcunque concupiscibilia et regis domo honorabiliora in thesauris invenire poterant, gratissimæ præcepit offerri, humiliter deprecans, ut accipere dignaretur; quæ sanctus vir accipere devitans, ait: Si aliquid pro gratiarum actione Deo offerre te delectet, ad augendum Dei officium in ecclesiæ beatæ Matris Christi, cujus meritis filium vivum recepisti, terminos ejus, qui angusti sunt ad tantum servitium dilatate aliqua parte regni tui, ut sit in usufructuario ibi servientibus Domino, si ita regis majestati placeat, poteris: quia firmiter hoc ac stabilius est ad beatitudinem tuam, tuorumque procedentium patrum, et sequentium posterorum promerendam, quam aurum, quod oculos, cum videtur, delectat, et cor, cum perditum fuerit, contristat.

8. Quam propositionem pontificis rex gratulanter amplectens; ubi, inquit, invenire poterimus locum talem, qui congruat ad serviendum Matri cœlestis Regis, cujus sunt universa in cœlis et in terris? Cumque hæc secum volveret, mentemque per omnem Alsaciam spargeret, sicubi talis forte locus inveniretur, qui tantæ donationis aptus haberetur; occurrit animo Rubiacham (12) oppidum cunctis usibus, id est, agris amœnis, campis, silvis, aquis, ædificiis, populis opulentissimum, summæ reginæ in dotem convenire. Nec distulit rex, voto tandem invento, cancellario mox accito (13) coram optimatibus suis assensum tam bono consilio præbentibus testamentum facit, ut Rubiacha cum omnibus appendiciis suis confinibusque ad se pertinentibus, etiam cum villis, goberto, cap. 21, ubi et de templo parochiali S. Arbogasti titulo insignito.

(13) *Cancellario mox accito*, non est in Vita impressa; est tamen in utroque apographo nostro; quamvis autem vox *cancellarius* vix tunc in usu fuerit, communis evenit quando scripsisse putamus auctorem nostrum qui usitata ac nota suis temporibus appellatione officium illud significat, quod alio prius nomine, sed jam exoleto nuncupatum fuerat.



